



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Præfatio

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)



TRACTATUS OCTAVUS. DE GRATIA. PRÆFATIO.

EXPLICATIS Pelagianorum & Semi-pelagianorum erroribus, ut de facile colligi possit, inter recentiores Theologos qui propius ad veritatem accesserint, vel ab ea longius absint, superest ut de Divina Gratia, cuius iam supra commendationem dedi, Tractationem instituam: cui sane narranda merces promissa sit, quam æterna vita consecutio: Qui elucidant me, vitam æternam habebunt, quo quidem premio, ut cum Bernardus loquar, ego fraudari nolum: Et si etiam præter amplissimam mercedem, quam deum pollicetur, id nobilitate sua, & beneficiis, quæ etiam munus confert, mereatur, ut in explicationem & laudem ingenia omnia vires suas intendant, nullique labori parcant. Nam ut præter cætera quæ superiori Præfatione præmissa sunt, quæ hic obvia occurrunt, & penè ultro sese ingerunt, subiungam: Quid existimas (Amice Lector) gratiam esse: si præclarissimis Encomiis, & amplissimis titulis veluti totidem definitio- nibus, non tam naturam, quam nobilitatem explicare me sinas: si Augustinum consulo, interioris hominis pulchritudo est, & humana mentis candor: si Ambrosium, Dei pictura, & apud Irenæum, Dei imago, quæ simillima divinitatis lineamenta refert: si Macarium, vestis celestis pulchritudinis, quæ sedit atque peccati & regni, & quæ iusti homines ita adornantur, ut ne Cælestes divinis oculis elegantiores sint: si Augustinum, inscriptio Dei, impressa homini, quæ ipsum Deo vendicat, & tanquam servum suum tractare notum, & ut vocabant veteres, literatum, divinis obsequiis mancipat: si Isidorum, lac maternum, quo illud Propheta varicinium impleri possit, mammilla Regum lactaberis: Demum s. D. Ioannem, 1. 4. c. 6. fons aquæ salientis in vitam æternam, & quæ cõrexit unde primò manavit, ne illud divina loah 4. gratia desit, quod elementaris aqua genium esse dicunt, ut quantum descendit, tantum ascendat, suumque principium vel altitudinem repetat. Hac habet Divina Gratia, his titulis ornatur, hæc beneficia mortalibus & cælestibus confert, ut nominis in Angelos quàm homines beneficam vim exerat, sed ubique imperet, & omnium linguis & angelorum & hominum celebranda sit. Ceterum hoc habet Divina Gratia, quod ingentes res, quæ suâ magnitudine humilia ingenia procul arcant, & quibus velut obicem quo eas muniret, difficultas & natura obicit. Verum me nulla difficultas terret (Amice Lector) nullus ut spero obex morabitur. Id enim eximium est sibi Thomistica: præter Angelicum Præceptorem, quem ubique ducem sequitur, hic semper Augustinus praeit, qui toti Ecclesiae & Antesignanus & miles olim præiit, & quo ducem pugnavit, & vicit. Hi duo Gratia Divina fideissimi Interpretes, hi duo Spiritus sancti lyra, hæresum mallei, & Ecclesiae montes, qui primos Divina Gratia radios exceperunt, ut undique spargerent. Nam quod ad Augustinum pertinet, notissimum est, collatis suffragiis, Innocentium, Zozimum, Cælestinum, Leonem, Hormisdam, huius de gratia doctrinam consecrasset: & de D. Thoma Ecclesia canit:

Collaudetur Christus Rex gloria,
Qui per Thomam, lumen Ecclesiae,
Mundum replet DOCTRINA GRATIAE.